

NICOLAI COPERNICI

qui sub $\Delta A M$, & $E A N$. Aio primum, quod est in angulus latitudinis, qui in contactu constituitur, sit omnium maximus, ubi etiam ferè prosthaphæresis longitudinis maxima existit. Cum enim sub $E A K$ angulus maior sit omnium, ipse $K E$ ad $E A$ maiore rationem habebit, quam utræque $H D$, & $L F$, ad utramque $D A$ & $F A$. Sed ut $E K$ ad $E N$, sit $H D$ ad $D M$, & $L F$ ad $F A$, æquales enim sunt anguli, sicut diximus, quos subtendunt, & qui circa $M N O$ recti. Igitur $E N$ ad $E A$, maiore habet rationem, quam utræque $M D$, & $O F$, ad utramque $D A$ & $F A$; ac rursus qui sub $D M A$, & $E N A$, & $O F A$ sunt anguli recti, maior est igitur & qui sub $E A N$ angulus, ipso $D A M$, atque omnibus eis, quæ hoc modo constituuntur. Vnde manifestum est, quod etiam quæ fiunt ex hac obliquatione secundum longitudinem inter prosthaphæreses differentiæ, maxima est, quæ in maximo transitu determinantur circa E signum. Nam propter angulos, quos subtendunt æquales $H D$, $K E$, & $L F$, proportionales sunt ad $H M$, $K N$, & $L O$. Cùcque maneat eadem ratio earum ad excessus suos, consequens est excessum $B K$ & $K N$, maiore habere rationem ad $E A$, quam reliquos ad similes ipsis $A D$. Hinc etiam manifestum est, quod quā habuerit rationem maxima secundum longitudinem prosthaphæresis, ad latitudinis maximū transitū, eandem habebunt rationem segmentorum eccentrici secundum longitudinem prosthaphæreses, ad transitus latitudinis. Quoniam ut $K E$ ad $E N$, sic & omnes similes ipsis $L F$, & $H D$, ad similes ipsis $F O$ & $D M$, quæ demonstranda proponebantur.

Quales sunt anguli obliquationum utriuscum sideris
Veneris & Mercurij. Cap. VII.



Is ita prænotatis, videamus quantus utriuscum sideris sub inflexione planorum angulus continetur. Repetitis quæ prius dicta sunt, quod inter maximam minimamque distantiam v. partibus uterque ipsorum ut plurimum, Boreus magis Austrinusque fieret, in contraria iuxta orbis positionem. Quâdoquidem Veneris transitus siue differentia manifesta maiore & minore v. parti per apogæum & perigæum eccentrici discussionem facit, Mercurij vero medietate partis plus